



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726


Casus XI. De manifestando vitio mercis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

tunc jus alterius erit læsum : ergo non poterit cui voluerit adjudicare. Probatur antecedens. alter habet æqualem titulum ad illam rem : ergo si alteri & non huic pro suo lubitu rem tradiderit Judex alterius jus læsit.

Probatur etiam quintum membrum : si duo habeant æqualem titulum , tunc possessor prior ratione hujus suæ prioritatis in tempore habet aliquam prærogativam præ posterius possiden-

te vi Legis 31. §. ultimo : ff. de actione empt. vend. : ergo non debet præ illo tradi posteriori, ubi : uterque noster eandem rem emit à non Domino , cum emptio venditioque sine dolo fieret , traditioque est , sive ab eodem enimus , sive ab alio , is ex nobis tuendus est , qui primus jus ejus apprehendit , hoc est , cui primum tradita est ; si alter ex nobis à Domino emisset , is omnimodo tuendus est.



CASUS XI.

De manifestando vitio mercis.

Isaac Judæus cum quot annorum equus (quem vendere Adamo meditabatur) esset , interrogaretur , reponit. eum esse septem , septem annorum : germanicè , siben / siben Jahr. Adamus assertioni venditoris credens judicat equum esse septem duntaxat annorum , cum tamen post completam emptionem cognoverit , eum jam quatuordecim esse. Convenit ergo Judæum , & commissi tantæ enormis mendacij arguit : reponit Judæus , se ipsissimam veritatem dixisse , eò quod afferuerit equum esse septem , septem annorum , & bis septem conficiant quatuordecim.

Q. 1. An vitia extrinseca mercium sint manifestanda ?

Q. 2. An licitè occultetur vitium mercis , circa qualitates re-
fians , interroganti de hoc emptori ?

Q. 3. An vitium in substantia emptori sit prodendum ?

Q. 4. An & quando occultum vitium , circa qualitates tan-
tùm versans , Emptori etiam non interroganti manifestari debeat ?

Q. 5. Quid ad propositum casum sit respondendum ?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An vitia extrinseca mercium sint manifestanda?

- | | |
|---|---|
| 1. Quot modis res vitiosa possit esse, | 8. Sola privata unius venditoris notitia non diminuit pretium. |
| 2. Alia diversitas vitiorum explicatur. | 9. Non possum pretio ordinario vendere debitum, cui solvendo debitor impotens esse scitur. |
| 3. Vitiosa minori pretio vendenda erit. | 10. Non potest venditor per alium persuadere emptori, ut talem mercem, vel currente pretio emat. |
| 4. Extrinseca vitia mercis non sunt necessario exponenda. | 11. Licet tamen currenti pretio ei venditur, qui scitur post diminutum pretium, illam mercem alteri venditurus. |
| 5. Neque ex hac occultatione evadit emptio involuntaria. | 12. Quod tamen non procedit de vino, quod servatum scio deteriorandum. |
| 6. Vitium tale extrinsecum non existit tunc actu, ut tamen existit intrinsecum. | |
| 7. Valor præsens rerum pendet à futuro, si hoc sit notum. | |

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An licet occultetur vitium mercis circa qualitates versans interroganti de hoc emptori?

- | | |
|--|--|
| 13. Interrogatus venditor debet vitium intrinsecum, & circa qualitates versans emptori indicare. | tor simpliciter non fuisset empturus. |
| 14. Non licet ob tale occultum vitium, etiam minori pretio vendere, si vitio cognito rem emp- | 15. Si absolute quidem minore tamen pretio mercem empturus fuisset, excessus iusti pretij decepto emptori erit restituendus. |

16. Eo quod talibus ut dolis ad emendum inductus alter fuerit. interrogatus vitium nequit licite occultare.
17. Ejusmodi deceptio non semper est ascribenda levitati emptoris. 20. Idem tenendum est circa vitij manifestationem extrinseci.
18. Cur mendicus gregales suos decipere fallendo possit? 21. Satisfit objectioni.
19. Quia talis venditor Emptorem studiosè in errorem inducit, hinc 22. Dissimulando tamen & tacendo occultare vitium extrinsecum poterit.
23. Non tamen intrinsecum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An vitium in substantia emptori sit prodendum?

24. Vitium in substantia manifestari debet. fuisse cognitum, omisso fuisse.
25. Uti etiam illud, cujus negationi consensum alligaverat emptor. 28. Pharmacopœus subinde licite prescriptam medicinam variat.
26. Quod tunc contingit, si hæc negatio fuerit objectum mee intentionis. 29. Emptio cum deceptioe in mensura, & pondere non est vitium nulli.
27. Non omnes contractus sunt invalidi, qui si vitium quoddam 30. Mercatores non semper manifestare debent diminutionem mensuræ aut ponderis.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An, & quando occultum vitium rei versans solum circa qualitatem manifestari Emptoribus, etiam non interrogantibus debeat?

31. Vitium per se manifestum non est intimandum emptori. negligentia tamen non advertenti, vitium non erit indicandum, nisi error sit circa substantiam.
32. Nisi emptor valde rudis deprehendatur esse. 34. Aut vitium rem emptori noxium, aut parum utilem efficiat.
33. Habili tamen & capaci, ex

- 35. De vitio occulto monendus erit emptor, qui rem alteri venditurus scitur.
- 36. Aut res propterea ad finem ab emptore intentum inutilis sciatur.
- 37. Non enim sufficit, quod res in se sit utilis.
- 38. Quid faciendum, si res ob vitium per se sit inutilis, per accidens autem utilis emptori?
- 39. Vitium rem leviter inutilem faciens non est emptori necessarîo indicandum.
- 40. Nec deest emptori ratio occultandi tale vitium.
- 41. Non obest, quod cognito illo vitio rem alter empturus non esset.
- 42. Dîctum Sancti Ambrosij circa hoc punctum explicatur.
- 43. Emptor de infimo pretio contendere potest secundum notitiam de re habitam.

S. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

Quid ad propositum casum sit respondendum?

- 44. Nulla fuit hæc emptio, si actu emptor nolisset emere equum bujus ætatis.
- 45. Damnum etiam à Judo reparandum, si aliquid ex hac responsione, ut deceptoriam ementi illatum fuerit.
- 46. Ætatem interrogatus Judeus debebat prodere.
- 47. In quæis circumstantijs responsio à Judo data ut fraudulenta haberi possit.
- 48. Vitium hoc ætatis non fuit patens, ac manifestum.

S. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An vitium extrinsecum mercis necessarîo debeat exprimi?

Res aliqua potest esse vitiosa in sua substantia, in quantitate, ac denique tertio in qualitate, & circa accidentia. Quando pro gemma vitrum venditum dabatur, vitium in substantia rei: in quantitate autem, quando res minoris est quantitatæ, quam velit, & existimet emptor: ut si duæ libræ cum dimidia olei vendantur pro tribus. Quod si denique equus ignavus vendatur pro

pro generoso, in qualitate erat vitium.

2. Secundò vitium potuit esse occultum vel etiam perspectum ipsi venditori. item potuit esse patens, vel non. item alia vitia sunt intrinseca, alia extrinseca, si sciam pretium modo currens ob supervenientem mercium copiam brevè minuendum esse, dabitur vitium extrinsecum.

3. Tertio etiam si quadam vitia non essent manifestanda ementi, illorum tamen aliquo infecta merces sine injuria non poterit vendi tanto pretio, quanto distraheretur si vitiosa non esset, hinc etiam quando vitia non debent manifestari, emptores à corrente pretio debent descendere, ita ut si ejusmodi vitiosam mercem etiam bona fide consueto alteri vendidisset, comperto postmodum vitio excessus pretij restituendus à me emptori foret, si hoc adhuc formaliter, aut æquivalenter apud me existeret.

4. Dico: vitia extrinseca non sunt necessariò exprimenda, quamdiu circumstantia illa communiter ignoratur. prob. si tale foret manifestandum, ratio esset, quia aliàs emens deciperetur, expendens pro re taliter vitiosa majus pretium: atqui hoc est falsum. prob. min. si talis extrinseca circumstantia, ob quam pretium postea diminuetur, adhuc sit occulta ejusmodi merces

in communi aestimatione adhuc retineri consuetum suum valorem: ergo licet hoc & non minus pretium accipiat, emptor non fuerat deceptus. Confirmatur. scientia vendentis, & ementis ignorantia non mutant valorem mercium: ergo &c. Confirmatur 2. licet sciam, mercem aliquam paulò post plus valituram, quàm modò, si tamen hoc communiter ignoretur, possum corrente pretio illam tamen emere: ergo &c.

Ob. 1. Si talis circumstantia, & vitium occultum extrinsecum non manifestatur emptori, emptio eidem sit involuntaria. prob. si eidem fuisset perspectum, pretium brevè minuendum esse, non emisset illam rem tanto pretio, vel forsitan penitus ab illius emptione abstinuisset. R. neg. ant. contractus enim non evadit involuntarius ex eo, quòd habitualiter ita animo sum affectus, ut quod modò ago, non essem acturus, si hanc vel illam circumstantiam nunc absconditam rescirem, nisi erratum fuerit circa substantiam. Conf. multi non emerent modò frumentum, si scirent, futuram postea copiosam messim, & tamen talis emptio juxta omnes censetur illis esse voluntaria.

Ob. 2. Si foret vitium intrinsecum, deberet manifestari: ergo etiam extrinsecum prob. conf. quod diminutio valoris ab extrin-

insecum vel intrinsecum proveniat, nihil facit ad rem ergo &c. prob. ant. in utroque casu res minus valet, & consequenter consueto pretio injustè venditur. ¶ con. ant. neg. conf. in hujus prob. dist. ant. nihil facit ad rem, quod diminutio pretij pro & in hoc instanti proveniat ab extrinsecum, vel intrinsecum, con. : si diminutio pretij fiat primum pro sequentibus instantibus, & res in hoc instanti adhuc retineat suum valorem, negatur, cum vitia presentia mercium, non autem futura, sint manifestanda, hinc si circumstantiæ extrinsecæ non vitient pro nunc mercem pro nunc tale vitium extrinsecum non erit manifestandum.

7 Urgent. valor presentis rerum etiam pendet à futuro: ergo nulla responsio. ¶ dist. ant. pendet à futuro, si hoc futurum sit communiter notum, con. si ignotum negatur.

8 Urgent. 2. Diminutio pretij est saltem iam tunc nota venditori ergo. ¶ con. ant. neg. conf. ratio est, quod privata cujusdam singularis personæ scientia non minuat, vel augeat ordinarium pretium.

9 Ob. 3. Sequitur, me posse pretio ordinario alijs vendere debitum, cui solvendo agnosco imparem esse meum debitorem, sed hoc est falsum, ergo &c. prob. Maj. hoc vitium est ex-

trinsecum debito; oritur enim ex paupertate creditoris. ¶ neg. seq. tale enim jus adversus Creditorem imparem solvendo, est instar juris ad fructus agri sterilis intrinsecè vitiosi: ex opposito vitia, de quibus antea egimus, sunt mercibus extrinsecæ, & primum futura, mercibus non inhærentia.

Ob. 4. Si tale vitium extrinsecum proveniens ex paulo post futura diminutione pretij ob auctam ejusmodi rerum copiam, potest licitè occultari, etiam poterit emptori venditor per se, vel per alios persuadere, ut emptor presentis valore merce acceptet, hoc videtur falsum: ergo &c. ¶ neg. seq. ratio est, quod talis decipiat venditorem si expressè dicat, nihil timendum esse de valore per futuram copiam aut legem minuendo.

Ob. 5. Saltem peccaret emptor contra justitiam, si venderet optimè gnarus, emptorem eo animo talem mercem à se comparare, ut eam suo tempore iterum vendat, interea autem diminuendum esse illius pretium, & hinc damnum exoriturum ementi. ¶ neg. seq. ratio est, quia etiam in tali casu venditor æquum accipit pretium pro merce, & utens jure suo agit justè: habet itaque ad hunc contractum se indifferenter, quod emptor

T 2

ad

ad aliquod tempus sit retenturus iusto pretio coemptam mercem.

12. Ugebis : ergo etiam vinum potero alteri vendere , quod servatum scio futurum deterius , & ab altero asservandum præ-

video. R. neg. seq. ratio est , quod deterioratio vini proficit ex intrinseco vini vitio : in altero autem casu ex causa omnino extrinseca , majore nimirum copia resultat diminutio valoris.

§. II.

Resolvitur secundum Quæstum.

An licet occultetur vitium mercis solammodo circa accidentia versans , si venditor ab emptore tacite vel expr. se , in genere , aut in specie de illo vitio interrogatus fuerit ?

Dico 1. Si vitium occultum , de quo interrogatur ab emptore vendens , fuerit intrinsecum non posse citra injustitiam positivè , id est , mendacio , restrictione mentali , aut amphibologia tegi aut occultari. Ita sentiunt Lugo *disp. 26. de Justitia n. 133.* Molina Palao cum Lopez *lib. 1. de contract. c. 41. dist. 5.* Molina *disp. 353. n. 20.* Lessio *L. 2. cap. 21. dub. 11. n. 86.* Azor *3. p. lib. 5. c. 23. dub. 2.* Rebello *lib. 9. q. 10.* Reginaldo , Emanuele Saa Bonac. *de contract. disp. 3. que : 2. pu. 6. n. 10.* prob. responsio ex lege 5. *Cod. ad S. C. vell. leg. 2. Cod. de rebus alien. non alien. lege 11. Cod. de distract. pignor.*

Prob. 2. Ratione in tali casu neque mendacio , neque restri-

ctione mentali neque amphibologia , quæ difficulter notari possit , licet , ac justè vitium occultabitur : ergo &c. prob. ant. qui mendacio , restrictione mentali aut quadam amphibologia ad emendum inducit alterum , inducit deceptione & dolo : sed qui inducit alterum deceptione ac dolo ad emendum , tenetur ad restitutionem damni , si aliquod ex illa emptione decepto eveniat : ergo qui mendacio inducit &c. tenetur ad restitutionem &c. et qui interrogatus de vitio equi , & negans hunc habere aliquid vitium , inducit alterum ad emendum mendacio , ergo &c. Prob. Maj. mendacia , restrictio , & amphibologia in his circumstantijs sunt quoddam genus rectorum in fraudem emptores indu-

centium; & talibus inductus ex communi hominum estimatione iudicatur fuisse circumventus: ergo &c. prob. min. qui alteri est causa damni, vi, fraude, vel dolo, tenetur ad illius compensationem: imo etiam taliter impediens alterum à consecutione boni, licet ad hoc impediens nullum jus habeat juxta communem **TT.** obligatur: atqui inducens alterum ad emendum fraude aut dolo, est causa damni, quod ex tali emptione patitur: ergo &c.

Conf. si ego Sempronium dolose domo abstraherem, ut alius facilius Sempronij aedes expilaret, esset causa damni & tenerer ad restitutionem: ergo etiam talis interrogatus ab emptore, si neget tale vitium subesse,

14 Unde colligimus, in casu, quo emptor talem mercem, cognito illius vitio omnino non empturus fuisset, venditorem suæ obligationi non satisfacturum, si minore duntaxat pretio illam mercem venderit.

15 Col. 2. Excessum pretij taliter decepto emptori restituendum esse, si hic talem vitiosam mercem absolute quidem adhuc emisset minore tamen pretio, eò quod ad hunc excessum dolo causam dederit.

16 Ob. 1. hoc mendacium est solum jocosum, officiosum, & inducens ad contractum justum, saltem si vitium sit extrinsecum: ergo

non læditur illo iustitia: **17** quæcumque hoc mendacium dixeris, ex dictis, illo tanquam fraude, ac deceptione inducitur emens ad actionem sibi damnosam: ergo &c.

Ob. 2. Tale subsequens **17** damnum debet deceptus ascribere suæ levitati, eò quod mercatoribus mentiendo assuetis tam facile fidem adhibuerit, **18** si hoc procederet, omnem deceptionem à restituendi obligatione immunem futuram: suæ igitur levitati debebit talem facilem credulitatem ascribere emptor tunc solum, quando eidem aliunde perspecta est venditoris nequitia, ita ut nulla prudens fides eidem habita fuerit, aut haberi possit.

Ob. 3. Quando mendicus **18** gales suos decipit, eleemosynam iam fuisse distributam mentiendo, ut ille solus largiorem obtineat, non tenetur ad damnum suo gregali exinde ortum reparandum: ergo &c. **19** disparitatem esse, quod tale damnum ut plurimum non sit in re gravi: insuper ipsam nota sit invicem sua fraudulentia, hinc dolum alio compensare dolo conantur.

Ob. 4. Venditor non tenetur **19** ultrò manifestare vitium occultum mercis: ergo neque interrogatus, prob. conf. venditor nolendo manifestare cum suo præjudicio utitur jure suo: ergo &c. **20** con. ant. neg. conf. in

T 3 hujus

hujus probat, dist. ant. utitur jure suo, si non haberet obligationem, ne alterum in errorem inducat, conc. si habeat hanc obligationem & hoc modo induceret: nego.

20 Dico 2. Quod modò de manifestatione vitij intrinseci asseruimus, etiam intelligendum est de vitio extrinsecò, ratio est eadem in hoc casu, quæ datur in priore.

21 Ob. in tali casu, licet venditor asserat se nihil scire de augenda mercium copia, emptor tamen non inducetur in errorem: ergo &c. prob. ant. hoc non obstante prudenter poterit judicare emptor, merces forsitan auctum iri, licet hoc à venditore ignoretur: ergo &c. ¶ etiam hoc judicari posse, licet venditor asserat, *non augebitur rerum copia*: & tamen, si ita mentiat, juxta adversarios obligatur: ergo etiam in priore casu obligabitur ad manifestationem, vel hac omisso ad restitutionem.

22 Dico 3. Si interrogatus venditor dissimulet, & sileat, posse illum hac ratione tegere vitium extrinsecum: ita Lethus, Lugo: prob. hac ratione non inducit dolo emptorem ad judicandum copiam v. g. non esse augendam mercium ergo &c. prob. ant. tale silentium est potius suspectum emptori, & hinc ex illo inferet, venditorem habere notitiam de minuendo valore mer-

cis ob similitudinem mercium v. g. copiam brevè affuturam, si enim nullam de hoc notitiam haberet emptor, ad respondendum foret promptus.

Dico 4. Venditor interrogatus de vitio intrinsecò rei non poterit dissimulare, aut silendo illud tegere ita omnes qui dicunt, illum ad vitij manifestationem, de quo interrogatus fuerit, obligatum fore. Ratio est, quod alias, infinitis fraudibus via aperiretur.

2. Quia emptor interrogatus, ideo potest ita esse actu constitutus, ut non emeret, si sciret, rem illo vitio laborare: ergo tacendo exponitur contractus nullitati ob defectum consensûs: vel rescindibilitatis, eò quòd dolus iste dederit eidem causam, & emptor censeatur rationabiliter invitus.

Excipi tamen videtur casus, quo res sit parvi momenti, & vitium etiam cognitum emptorem ab illius emptione, eodem quoque pretio facienda non absteruisset.

Dices: non est ratio, cur emptor interrogatus à venditore possit dissimulare vitium extrinsecum, non autem intrinsecum: ergo vel utrumque, vel nullum interrogatus venditor poterit dissimulare. ¶ disparitatem esse, quòd vitium extrinsecum non detur actu nunc, quando fit contractus, prout tamen datur intrinsecum: ergo ad sola vitia, quæ tempore contractûs actu dantur, sint aperienda, extrinsecum dissimulari poterit.

ferit. 2. Quia vitia extrinseca rarissime contingunt, intrinseca autem vix non quotidie: ergo ex dissimulatione vitiorum extrinsecorum non aperitur janua infinitis fraudibus, uti ex dissimulatione intrinsecorum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An vitium in substantia emptori sit manifestandum?

34 Dico 1. Illud esse manifestandum emptori, ita communis. Prob. si vitium sit in substantia, & hoc emptori sit ignotum, tunc contractus ob defectum consensûs ex parte emptoris est nullus: ergo ut hanc nullitatem impediat emptor, debet hoc vitium manifestare emptori: aliâs ob defectum validi contractûs non poterit acceptum pretium facere suum.

35 Dico 2. Etsi vitium occultum non sit circa substantiam, quando tamen ejusdem negationi, tanquam conditioni sine qua non, actu suum consensum emptor alligat, manifestandum illud emptori erit. Ratio est eadem, quia consensus foret nullus, & hinc contractus invalidus.

36 Dico 3. Ad hoc, ut possim dici, me actu consensum meum alligasse, absentia cujusdam vitij, tanquam conditioni sine qua non, requiri, ac necessarium esse, ut illa qualitas sit objectum meæ voluntatis, qua cogito, vel dico, me non consentire in emptionem

hujus rei, nisi hanc vel illam qualitatem habeat. Prob. si hoc non fiat, tunc meus consensus non erit conditionatus, & alligatus signatè illi qualitati: ergo poterit consensus absolutus in substantiam rei dari, licet illa qualitas desit, ergo etiam poterit esse validus.

Conf. valori talis contractûs non obest, quòd ita habitualiter sim constitutus, ut si scirem, illam qualitatem deesse, rem istam non emerem: ergo requiritur, ut signatè consensus tali qualitati fuerit annexus. Prob. ant. ex eo, quòd rem non essem empturus, si scirem illud vitium adesse, vel qualitatem aliquam deesse, quòd vitium modò adesse, vel quam qualitatem deesse, modò ignoro, malè inferitur, quòd in emptionem de facto non consentiam; sed tantummodo sequitur, quòd si scirem illam qualitatem deesse, non essem consensurus in emptionem: ergo talis emptio non erit invalida ex defectu consensûs.

Conf.

Conf. 2. Mera habitualis voluntas conficiendi Sacramentum non sufficit ad hujus valorem: item non sufficit ad meritum, vel demeritum in genere morum: ergo nec in contractibus oberit valori consensus.

Conf. 3. præcisè ideo talis consensus deficiente tali qualitate esset nullus, quia hic erat conditionatus, & alligatus qualitatis existentiae tanquam cuidam conditioni, quæ cum desit, consensus non evadit absolutus: ergo si consensus non erat ita conditionatus, licet desit illa qualitas, contractus non erit nullus: atqui non est conditionatus, si qualitas illa non erat objectum cognitionis ac voluntatis ementis: ergo.

27 Ob. 1. Conradus de contractu, q. 54. quando rem emo, quam non emissem, si rei illius vitium scirem, tunc contractus, & consensus sunt involuntarij: ergo invalidus contractus; prob. ant. ignorantia causat involuntarium: ergo &c. R. neg. ant. ita universaliter acceptum, Patet enim illius falsitas ex eo, quod omnes contractus forent invalidi, quando etiam levissima tantum qualitas ignorata daretur, quam si sciret emptor, illam rem non emisset, licet etiam venditor eandem ignorasset. 2. Eiusdem falsitas patet in contractu matrimoniali. 3. Nemo venditum vellet ita contrahere, ut ementi sit liberrima potestas dissolvendi contractum, modò vel

minimum vitium emptæ rei in se ipse emptor postea compere-rit. 4. Sæpè aliqua emimus ex motivo quodam intrinseco, quod cum postea deprehendimus fuisse nullum, nos pœnitet contractus, & nequaquam illa emissemus, si nullitatem nostri motivi perceptam habuissemus, & tamen ejusmodi emptio valet: ergo &c. Hinc dicimus, nullum intercessisse ignorantiam circa substantia rei, aut circa qualitatem, quæ fuerat objectum nostræ conditionatæ voluntatis.

Ob. 2. Sæpius pharmacopai unum medicamentum dant pro alio à medicis præscripto, & tamen non obligantur ad hujus vitij manifestationem, quia sufficit, quod datum medicamentum ad finem ægroti emptoris sit æquè utile, ac foret præscriptum. Ergo vitium etiam substantiale non erit semper manifestandum. R. antecedens negari à Medina, defendi autem à Toletò Valentia, Ledesma, Lopez, Henríquez, Lugone *disp. 26. sèct. 8. n. 124.* R. itaque, ideo in tali calu hanc mutationem non esse manifestandam, quia in æstimatione morali, & in ordine ad finem, propter quem petitur, est eadem medicina, licet physicè sit diversa: intenditur enim ab emptore sola sanitas: ergo modò in petendo pretio descendat pharmacopæus, non erit invitus ægrotus

Ob.

29 Ob. 3. Si contractus est nullus, quando vitium circa substantiam versans ignoratur, illæ emptiones omnes erunt nullæ, in quibus venditores deceperunt in mensura, & pondere, prob. talis deceptio est circa substantiam. *si. neg. seq. in prob. dist. ant. est deceptio circa substantiam, quoad defectum, conc. in alio; negatur, in tali casu sufficit à venditore defectum suppleri, quod fit, si pretium correspondens defectui restituatur; aut tantundem quantitatis, quæ defuerat, addatur.*

30 Ob. 4. Potest contingere, ut pretium à lege taxatum tanquam infimo minus, sit injustum, ut igitur tales mercatores se indemnes conservent, consueverunt illi aliquid detrahere consuetæ, & præscriptæ aliàs mensuræ: ex hætenus autem dictis sequeretur, tales mercatores debere hanc consuetæ aliàs mensuræ diminutionem manifestare, quia aliàs nullus esset contractus, eò quod emptor in consuetam & præscriptam, non autem in diminutam consenserit. hoc autem videtur esse falsum: ergo &c. *si. in hoc duo posse in dubium vocari; unum, an licitè in tali casu dimi-*

nuatur mensura aliàs consueta; alterum an consensus sit nullus, si hæc diminutio emptori non fuerit insinuata? Ad primum respondeo talem diminutionem in similibus circumstantiis fore licitam, & ut talem defendi ab Antonio Gabriele, Soto, Vega, Medina, Syvestro, Layman, Palao. *disp. 5. de Just. pu. 22. n. 5.* rationem afferunt, quia macellarius v. g. non potest à Magistratu obligari, ut cum suo damno vendat, aut suum officium bono communi maximè necessarium dimittat. 2. per hoc nullam injuriam emptori facit, quia merx ponitur adhuc æqualis valoris esse cum pretio.

Ad secundum dubium reponimus, emptorem etiam in diminutam mercedem consensisse; emptor etenim consensit in mensuram ordinariam; ergo etiam consensit in minorem sub majore contentam: cum autem pretium pro consueta mensura oblatum non sit æquale merci, hinc mercatori licet uti suo jure, & tantum detrahere, quantum, si fuerit detractum, merx & pretium sibi respondeant.

S. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An, & quando occultum vitium rei versans solum circa qualitatem manifestari Emptoribus, etiam non interrogantibus debeat?

1 Dico 1. Vitium ex se manifestum non tenetur venditor indicare emptori, ita sentit S. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 3. item Sylvester verbo emptio q. 19. Sotus lib. 6. q. 2. art. 2. concl. 6. Molina disp. 353. concl. 7. Layman. lib. 3. summe sect. 3. tract. 4. cap. 17. S. 2. n. 14. Palao de Just. disp. 5. pu. 22. n. 6. habetur conclusio in lege: ea que ff. de contrabenda empt. § lege 1. S. si intelligitur: ff. de edilitio edicto. Ratio est, quod sibi emptor debeat imputare, quod rem vitiosam emerit, eum tamen vitium facile potuisset agnoscere. Ratio est

2 Ibi non opus est aliqua manifestatione, ubi se ipsam res manifestat sufficienter, ac loquitur, atqui si vitium est manifestum, fit hoc. ergo &c.

3 Dico 2. Si emptorprehendatur adeo rudis esse, oculis aut mente tam hebes, ut appareat, eum non posse hoc vitium facile advertere, de hoc videtur monendus, ita sentiunt Aragon. Salon Toletus de 7. peccatis mortal. cap. 41. Rodriguez, Laym. lib.

3. summe sect. 5. tract. 4. cap. 17. S. 2. n. 14. Palao n. 7. loc. cit. Prob. respectu talis ejusmodi vitium alias patens re ipsa est occultum: sed occultum est manifestandum emptori: ergo &c.

Dico 3. Si emptor considerata sua habilitate, ac capacitate posset absolute facile deprehendere patens vitium, ex negligentia tamen, aut inadvertentia illud non observat, probabilius non est necessarium monendus à venditore, si error circa substantiam non verifetur, aut emptio talis non sit directe illius voluntati contraria. Ita Aragon, Salon, Vega, Toletus lib. 7. de 7. peccatis c. 41. Salas tract. de emptione dub. 43. n. 3. Prob. concl. negativè, quia si dictum sibi imputare debet, quod non melius omnia examinaverit, prob. 2. hac ratione nullam eadem injuriam infert; ponimus enim ob tale vitium rem fuisse minori pretio distractam.

Dico 4. Si vitium occultum rem noxiam emptori faciat, aut parum utilem erit illud emptori manifestandum, ita cum D. Tho-

ma quodlib. 1. art. 10. § 2. 2.
 q. 77. art. 3. prob. 1. ex lege 2.
 ff. de periculo, § commodo rei ven-
 ditæ: § lege 1. § seqq. ff. de edi-
 litio edito, § lege quero: § le-
 ge Julianus ff. de action. empti:
 Prob. talis emptio absque ejusmo-
 di manifestatione facta incipit ef-
 se involuntaria emptori, ergo &c.
 Prob. ant. judicat sibi vendi mer-
 cem utilem ac sanam; & tamen
 hæc est eidem noxia & inutilis,
 ergo emptio est involuntaria, &
 ad hanc emptor dolo fuit indu-
 ctus.

35 Dico 5. Si venditor sciat emp-
 torem rem à se emptam postmo-
 dum alteri revenditurum esse, de
 occulto vitio moneri debet. Ita
 Cajetan. Navarrus, Petrus Na-
 varr. Rebellus, Saa. Prob. si
 emptor non moneatur, venditor
 erit in causa, ut emptor vendens
 rem alij nihil detrahat de pretio
 consueto ob latens vitium, con-
 sequenter emptori secundo infe-
 retur cum injuria damnum.

36 Dico 6. Idem faciendum, si
 res ob vitium occultum credatur
 parum utilis ipsi emptori ad finem
 per emptionem intentum, ita D.
 Thomas supra cit. Ratio est,
 quòd aliàs injuria emptori, &
 damnum inferantur, & emptio
 fiat ementi involuntaria.

37 Ob. contra hanc conclus. in ven-
 ditione attendendum duntaxat est,
 num res in se, & absolute spe-
 ctata sit utilis, vel noxia, non
 autem utrum emptori talis sit fu-

tura, ergo modò merx in se sit
 utilis, poterit vendi, licèt ex vi-
 tio occulto emptori prævideatur
 inutilis. Prob. ant. non est offi-
 cium venditoris, ut finem emen-
 tis attendat: ergo &c. 2. dist.
 ant. non est attendendus finis, si
 hoc non attento nulla incommo-
 da ex tali venditione eveniant
 emptori con. si eveniant, neg. si
 eveniant incommoda, tunc ob vi-
 tium occultatum injuria fieri emen-
 ti; cùm occultatio sit causa tali-
 um incommodorum.

Urgebis: non possunt ostendi
 illa incommoda: ergo. 2. neg.
 si enim ad finem ad emente in-
 tentum merx comparata non qua-
 dret, res erit emptori inutilis,
 erit insuper eidem, vel alius emp-
 tor sollicitè quærendus, cui mino-
 ri forte pretio debebit illam ven-
 dere, vel hoc non invento totius
 expensæ pretij jacturam debebit pa-
 ti. Quòd si autem hæc damna
 non incurreret, aut facilè evita-
 re posset emptor, accommodan-
 do rem alteri cuidam usui, aut
 vendendo pretio æquali, Salas de
 empt. dub. 34. n. 4. defendit, vi-
 tium non esse manifestandum.
 Ratio est, quòd emptor nihil cu-
 ret, utrum res sit alteri utilis, sed
 utrum sibi hæc omnia tamen in-
 telligenda sunt, si emptor emen-
 do intendat finem, ad quem ejus-
 modi res per se ordinari consue-
 vère.

Ob. 2. Potest esse v. g. equus
 ratione sui vitij per se inutilis ad
 finem,

U 2

fiem, ad quem communiter emi solet per accidens autem non obstante tali defectu emere utilis, & peraccommodus: in hoc casu non poterit determinari, an valeat talis venditio occultato vitio celebrata, vel non, ergo &c. n. Molina disp. 353. §. illud admonuerim: Rebellus lib. 9. q. 9. n. 5. Palao de Just. disp. 5. pu. 22. n. 12. ejusmodi contractum tam in foro externo, quam conscientie esse rescindibilem. Rationem afferunt, quod rei valor desumendus ex eo sit, an merx per se sit apta ad finem, propter quem ordinariè emi solet, non autem ex utilitate, vel inutilitate illius, per accidens emptori tali evenientibus.

3 Dico 7. Si vitium occultum duntaxat leviter mercem inutilem reddat ad finem emptione intentum, probabilius non erit venditor obligatus ad illud emptori manifestandum, etsi sciat ab illo hujus confcio mercem talem nequaquam emendam fore. ita cum D. Thoma 2. 2. q. 77. art. 2. Arragon, Salon, Valent: Soto Sentiant Molina disp. 352. conclus. 3. & disp. 353. post conclus. Layman. lib. 3. summe sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 2. n. 15. Palao: loco cit. n. 14. Prob. concl. 1. ex leg. 1. §. proinde, & sequenti: & lege ob que vitia & seqq. ff. de editio edito. prob. 2. ratione. nulla fit injuria Emptori, ergo non erit manifestandum

cum unica ad manifestandum ratio obligans sit injuria emptori alias inferenda, prob. itaque antec. ponitur, quod servetur æqualitas, pretium inter & mercedem: non datur emptori res quedam noxia, nec inutilis considerata quantitate pretij: ergo &c. prob. 3. in contractu venditionis debemus considerare, num deceptio jure naturali aut positivo contractum annullat; minimè autem attendendum, an emptor foret empturus vel non: ergo prob. ant. si hoc ultimum esset attendendum, plurimi contractus passim dissolverentur non sine gravi communitatis detrimento atque incommodo: ergo. prob. ant. plurimi emptores ab emptione desisterent, si eisdem omnes circumstantiæ manifestarentur. subf. sed jure naturali aut positivo non annullantur contractus, si levem duntaxat facturam emens aut vendens patiatur: ergo &c.

Ob 1. In tali casu venditor nullum motivum occultandi vitium habere potest, nisi deceptionem ementis: ergo debet illud palam facere. n. neg. indicat enim nobis aliquid D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. censens posse taceri, quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum: unde licite potest venditor indemnitati sue consulere, vitium reticendo.

Ob.

41 Ob. 2. Saltem tunc erit indicandum vitium, quando venditor praevidet rem ab emptore non fore emendam, si conficius fuerit latentis vitij: prob. in tali casu est eidem emptio involuntaria. *¶* iam superius à nobis ostensum fuisse, nequaquam semper invalidum contractum esse, quem non celebrasset emptor, si certum circumstantiam novisset. Et prob. ulterius hac ratione: cum pretium ponatur aequale esse valori mercis, ideo quoad illud valet contractus, licet cognito vitio rem non esset eo pretio empturus, sed minore ipse emptor: ergo etiam erit simpliciter quoque validus quoad substantiam, licet illum cognito illo vitio non esset celebraturus, prob. conf. utrinque est par ratio, & ob justitiam pretij etiam contractus est justus, si tamen (quod necessarium judicamus esse) negativè tantum se venditor habuerit, omni mendacio, & dolo exclusis. 3. concedimus talem emptionem fore aliquam involuntariam, simpliciter tamen, ac absolutè voluntariam.

42 Ob. 3. Auctoritatem D. Ambrosij 3. officiorum cap. 10. affe-

rentis, in contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi juberi. *¶* hæc locum habere duntaxat in vitij mercem notabiliter noxiam vel inutilem ad finem in ejus emptione intendi solitum redditibus.

Ob. 4. Emptor habet jus contendendi de infimo pretio: ergo tenetur venditor omnia vitia prodere emptori. *¶* 1. dist. ant. Emptor habet jus contendendi de infimo pretio juxta notitiam, quam aliunde habet de re & pretio, conced: ita ut unus alterum debeat docere de pretio summo, medio, vel infimo, negatur. Contrahentes tantum eatenus sunt informandi, quatenus opus est, ut evitetur error in substantia, vel aliud quodcunque damnum notabile, quod in re vel in pretio alteruter possit pati. *¶* 2. dist. conf. tenetur prodere omnia vitia, quæ ex rei natura & spectata communi contrahentium praxi manifestantur con. etiam quæcunque alia, negatur. Dein etiam emptor habet jus contendendi de pretio summo & rigo-

roso.

Datur ultimata Resolutio presentis Casus.

- 44 **E**X dictis hactenus colligimus, contractum hunc absolute fuisse nullum, vel saltem ab Emptore rescindibilem, si ista amphibologia responsio verè deceptoriam, & emptor actu tunc ita constitutus fuerit, ut equum illum simpliciter non emisset, si ex venditore de ætate equi interrogato intellexisset, equum istum iam fuisse quatuordecim annorum. Ratio est, quia consensus fuit nullus, & ob defectum conditionis nequiquam absolutus.
- 45 Collig. 2. Licet emptor tunc actu non fuerit ita constitutus, ut modò posuimus, si tamen hæc amphibologica responsio verè fuit deceptoriam, & fraudulenta, insuper ex emptione equi aliquod damnum emptori evenerit, vel majori, quàm valebat, pretio comparatus equus fuerit, reparatio hujus damni à Judæo præstanda erit. Ratio est, quia suis fraudibus illud voluntariè emptori intulit, quin imo cum dolus vendentis causam huic contractui dedisse videatur, à decepto emptore rescindi poterit.
- 46 Collig. 3. Etsi communiter ætas equorum ex nulla obligatione ementi sit indicanda, quia tamen ponitur venditor de hoc fuisse interrogatus, ad illam indicandam est obligatus: ratio est, quòd ætas quatuordecim annorum notabiliter deteriorem & minùs æstimabilem ejusmodi equum reddat, & merito emptores ab illius emptione absterreantur.
- Collig. 4. Si consuetus ordinarius modus Judæorum non obtinuerit, ut quatuordecim annos indicare soleant, repetendo bis hunc numerum *septem*, manifestè Judæus deceptit venditorem, cum volens indicare ætatem quatuordecim annorum, dixit equum esse *septem septem annorum*. *Eisben / siben Jahr*. & licet forsitan in foro externo nihil proficeret emptor, si non ultra dimidium fuerat læsus, occulta tamen compensatione uti poterit deceptus, si damnum quoddam ex hoc passus fuerit, & alla ratione Judæus illud compensare recusaverit.
- Collig. 5. Judæum non posse pro sui Excusatione asserere, quòd vitium hoc tanquam ex dentibus equorum desumibile, patens fuerit, consequenter indicari emptori non debuerit. Ratio est, quia provectior ætas ultra 7. vel novem annos non amplius ex dentibus deprehenditur: accedit, quòd etiam signa ista ordinaria dentium sectione corrumpi possint, ut equi minoris ætatis videantur esse.